

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Atlas minor Gerardi Mercatoris

Mercator, Gerhard

Amsterodami, 1610

Britannia

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

cum Insulis circumiacentibus.

Regio.
Nomina à qui-
bus & cur indita.



BRITANNIA omnes Insulas, quæ inter Hispanias & Germaniam magno terrarum spacio Galliæ præteduntur, suo nomine complectitur. Eam nuper Lhuyddus Prydaniam, Th. Eliottus Eques Britannus *Prytaniam* dici voluerunt, sed studio magis contentionis, quam veritatis incitati, contra Aristotelis, Lucretii, Iulii Cæsaris, & aliorum veterum scriptorum autoritatem ac fidem. Quia autem olim Britanni omnes se glasto inficerent, quod cæruleum efficiebat colorem, ut hoc horribiliore in pugnâ aspectu essent: iidemque quicquid depictum & coloratum *Brith* patriâ & antiquâ linguâ appellarent: rectè quidam statuerunt Græcos (qui primùm hoc nomen ita conceperunt) ab Incolis, quos *Brith* & *Briton* appellari accepissent, ad *Brith Tanta*, quod regionem significat, addidisse: & ideo Britanniam regionem *Britonum*, id est, pictorum & coloratorum dici, non aliter atque Mauritania Mauri, Lusitania Lusii, & Aquitania aquarum regio nominatur. Britanniam autem *omnibus cæli ac solis bonis natura donavit, in quâ nec rigor est nimius hyemis* (ut habet Panegyricus Constantino dictus) *nec ardor æstatis: in quâ segetum tanta fecunditas, ut numeribus utriusque sufficiat, & Cereis & Liberi: in quâ nemora sine innumerabilibus bestijs, terra sine serpentibus noxiis. Contra, pecorum mitium innumerabilis multitudo, lacte distenta & omnia velleribus; certè quod propter vitam diligitur, longissimi dies, & nulla sine aliqua luce noctes, dum illa litorum extrema pluvies non attollit umbras, noctisque metam cæli, & siderum transit aspectus, ut Solipse qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.* Inter omnes Britannicæ Insulas duæ reliquas magnitudine longè præcellunt: *Albion*, sub quâ Anglia & Scotia continentur, & *Hibernia*. Prima magnitudine est *Albion*, quæ nunc sola nomen Britannicæ retinet, quod antea omnibus erat commune. Atque hoc nomen magis è libris eruitur quam in communi sermone usurpatur, nisi quod Scoti se *Albionich* & suam regionem *Albin* adhuc vocent. De nomine autem *Albion* non multum laborandum, quod huic Insulæ imposuerunt Græci ad differentiam, cum circumvicinæ Insulæ omnes Britannicæ vocarentur. A Græcorum enim vanitate, fabulositate & desultoriâ illâ in fingendis nominibus levitate enatum videtur. Cum enim illi Italiam ab Hespero Atlantis filio Hesperiam, Galliam à Polyphemi, Gallatiam &c. fabulosè dixerint: hanc Insulam ab Albione Neptuni filio Albionem etiam fabulosè denominasse, vero non absimile videtur: quod Perottus & Lilius Giraldus prodiderunt. Alii ab *Ἀλφον* malunt deducere, quod teste Festo, album Græcis sonat, unde & Alpes appellata. Figura ejus triquetra est, Siciliæ maximè similis, nam in tres diversos angulos sese cuncat. Promontorium primum Occidentem versus Angli vocant *The cap of Cornwall*. Secundum Cantium quod Orientem prospicit, Angli *Northforland*. Tertium Orcas sive Tarvisium quod longè in Septentrionem extenditur, Scotis *Dunstaffhead* dictum. Livius & Fabius Rusticus eam oblongæ scutulæ sive bipenni assimilavêre. Ab Occasu, qua Hibernia sita est, Vergivus Oceanus irrupit, à Septentrione, vastissimo & apertissimo Hyperboreo Mari pulsatur, ab Ortu qua Germaniæ præteditur, Germanico, à Meridie qua Gallia opponitur, Britannico urgetur.

Cæli temperies.

Soli fertilitas.

Animalium
varietas.

Albion Insula.

Figura & situs.

getur. Diodorus libro sexto ambitum ejus scribit esse duorum & quadraginta milliū stadiorū. Martianus: *Britannia* inquit, *longa millibus octingentis, lata trecentis, circuitu tricies octies viginti quinque millia tenet.* Nugæ. Doctissimus & accuratissimus scriptor Camdenus hanc rationem inivit, à Tarvisio promontorio ad Belerium, itinere ob sinuosos littorū tractus curvato, millia passuum sunt DCCCXII: inde ad Cantium CCCXX millia: deniq; à Cantio ad Tarvisiū DCCIIII millia. Quæ summa est MDCCXXXVI millium passuum. Hæc Insula olim in duas partes divisa fuit, teste Ptolemæo magnæ constructionis lib. II: ubi Insulam universam in *Britanniam magnam* & *parvam* dispescit. *Magnam* vocat citeriorem ejus partem ad Meridiem: *Parvam* verò ulteriorem ad Septentriones. Romani verò ulteriore parte neglectâ, quia, ut inquit Appianus, *illis utilis esse non poterat*, citeriorem in provinciam jam redactam primū duplicem fecerunt, *Inferiorem* & *Superiorem*, ut ex Dione colligitur. Angliæ enim partem citeriorem cum Walliâ *Superiorem*, ulteriorem & Septentrionalem *Inferiorem* vocat. Postea in tres partes descriperunt, ut ex Sexto Rufo liquet, in *Maximam Cæsariensem*, *Britanniam Primam* & *Britanniam Secundam*. Postremò, cum Imperii Romani formula Indies immutaretur, Britanniam quinquepartitam fecere, *Britanniam* nimirum *Primam*, *Secundam*, *Maximam Cæsariensem*, *Valentiam*, & *Floviam Cæsariensem*. Atque hæc quidem fuerunt sub Romanis ipsius Britannia divisiones. Nonnulli universam Insulam olim fuisse in tres partes divisam scripsere, nempe in *Loegrianam*, *Cambriam* & *Albaniam*. Sed hanc recentiore esse divisionem credit Camdenus, ut quæ à tribus populis, Anglis, Cambris & Scotis, qui postremò Insulam inter se diviserunt, videatur enata. Postea in duo Regna, nempe Angliam & Scotiam, divisa est Insula: jam verò felicissimo sub Jacobo VI unita hæc duo sunt Regna, & tota Insula *Magna Britannia* appellata. Vastissimo autem & apertissimo Oceano, ut supra docuimus, Britannia undiq; circumfunditur, quem B. Basilius *Mare magnum*, & *navigantibus horrendum* dixit. Latè certè modò campos vicinos inundat, modò refugit & nudat, & ut cum Plinio loquar, in magnitudine hac aperta, Lunæ vim laxè grassantis efficacius sentit, tantæque vi semper immititur, ut non solum flumina retrogat, sed aut terrestria deprehendat animalia, aut marina destituat. Tantumque erat vel hoc mare hyeme navigare, ut Iul. Firmicus in libello de errore prophanarum religionum ad Constantem & Constantium Impp. exclamarit: *Hyeme (quod nec factum est aliquando, nec fiet) tumentes, & sevientes undas calcastis Oceanus Britannici, sub remis vestris incognitis jam nobis parte maris unda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus exævit. Quid amplius vultis? virtutibus vestris victa Elementa cesserunt.* De commoditatibus quas hoc mare præstat, de tepore quo terras fovet, de vaporibus quibus aërem nutrit, & agros irrorat, de piscibus varii generis, Salmonibus, Passeribus, Paguris, Asellis, Halecibus &c. quorum infinita examina alit, nihil attinet dicere: Margaritæ tamen non sunt silentio prætereunda, quas rotundâ specie mari Britannico gregatim natæ duce mem apum Iubas memorat. Meminit & Marcellinus. Harū spe Cæsarem Britanniam petiisse auctor est Suetonius. Atq; hæc de Albione, nunc reliquas præcipuas percurramus. Inter omnes longe præcellit Hibernia, de quâ nihil hic, de eâ in propriis quas occupat tabulis, dicturi. Eam sequuntur *Orcades*, nunc *Orkney* xxx, plūs minūs, Insulæ, modicis inter se discretæ spatii, quas ita appellat quædam

Mare.

Commoditates.

Orcades.

dam antiqua membrana, quasi *Argath*, id est, *supra Getas*, ut ibi exponitur: Camdenus malit supra *Cath*, objacet enim *Cath* regioni Scotiae, quam ob promontorium *Cathness* nunc vocant, cujus Incolae *Carini* pro *Cathini* perperam Ptolemæo nominari videntur. Solino ætate homine vacarunt, & junceis herbis inhorruerunt, nunc vero cultæ sunt, sed sine filvis, hordei satis feraces, tritici & arborum omnino indigæ. Serpens in eis nullus aut venenosum animal. Animalium greges numerosissimos nutriunt: Lepores, Cuniculi, Grues & Cygni hic multi. Copiosa item in his piscatio est, ex qua Incolæ non parum emolumentum capiunt. Iulius Agricola classe primus Britanniam circumvectus Orcadas ad id tempus incognitas, invenit domuitque, tantum abest ut Claudius devicerit, (quod Hieronymi Chronicis asseritur.) Deinde vero cum Romanorum concideret in Britannia Imperium, Pictorum sedes fuerunt. Postea in Norwegorum potestatem & Danorum devenerunt: unde Gothice loquuntur Incolæ: & demum Christiernus Rex Daniæ pacta pecunia, Anno MCCCCLXXIIII omne jus suum in regem Scotiae transfudit. Harum autem præstantissima *Pomonia* Episcopali cathedra celebris; a Solino *POMONA* diutina ob diem prolixitatem vocata, hodie *Mainland* incolis, quasi continens esset. Stanni & plumbi ferax, ac sede Episcopali in *Kirkwale* opidulo, & duobus castris ornata. *Ocetis* etiam inter has a Ptolemæo recensetur, quam *Heb* nunc dici conjectat Camdenus. An vero *Hey*, quæ inter has numeratur Plinii *Dumniæ* dicam, inquit idem Camdenus, nondum statui. Certe si non sit, malim *Faire Yle*, i. *Insula pulchra*, cujus opidum quod habet unicum *Dumo* dicitur, *Dumniæ* existimare, quam cum Becano *Wardbuis* in Lappelandia censere. Hactenus ille. *Zelandiam*, quoque unam earum nominat Ioannes Major, quinquaginta mille passibus in longum expositam. Incolæ porro harum Insularum cum abundantia hordei potentissimum conficiant potum, & omnium mortalium sint bibacissimi, nullum tamen in eis unquam ebrü, aut mente alienatum, nullum amentem aut stolidum visum esse testatur Boëtius. His proximæ *Hebrides* Insulæ numero XLIIII, quas Beda *Mavanas*, Ethicus *Berovicæ*, Giralbus alibi *Inchades* & *Leucades*, Scoti *Westerne Iles*, i. Occiduas Insulas: Ptolemæus cum Plinio & Solino *Ebudæ* vocat. Harum triginta esse Plinius scripsit, sed quinque recenset Ptolemæus. Prima *Ricina* est, Plinio *Rignea*, Antonino *Riduna*, nunc *Racline*. Insula hæc exigua est objecta Hiberniæ. Proxima *Epidium* est nunc *Ila* (teste Camdeno) Insula satis ampla, & campestri planicie ferax. Inter hanc & Scotiam *Iona* interjacet, Bedæ *Hy* & *Hu*, situ plano gaudens, in qua Episcopalis est sedes, in *Sodore* opidulo, unde Insulæ omnes *Sodorenses* etiam dictæ fuerunt, quod in ejus diocesi censentur, celebris autem est Regum Scotiae sepultura. Inde *Maleas* est Ptolemæi, nunc *Mula*, cujus Plin. meminit, cum inquit *Reliquarum Mellæ xxv mill. pass. amplior produitur*. *Hebuda* Orientalior nunc *Skie*, deinde Scotiae littori longe obtenditur, & *Hebuda* Occidentalior magis in Occasum divergens, nunc *Lewes*, cui præest *Mac cloyd*, & in antiquo Manniæ libro *Lodhus* dicitur, monticulis prærupta, saxosa & raro cultore, sed omnium amplissima, a qua exiguo Euripo *Eust* disjungitur. Cæteræ præter Hyrtham ignobiles sunt aut faxis asperæ, aut cautibus in via, & vix virenti cespite vestitæ. Sequuntur *Mona* & *Vectis* de quarum altera, in tertia Tabula Angliæ, de altera in septima agemus.

Soli fertilitas.
Animalium
varietas.

Imperium
m
jorum.

Hebrides
nomina.

E

HIBERNIA